

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 150. Sessio X. Commissariorum relatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

§. CL.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.*Sessio X. Commissariorum relatio.*

Die Mercurii, quæ fuit vigesima se-
cunda Maji, habita est Sessio decima,
in qua Promotor per Advocatum exponi
præcepit, Commissarios examinatis testi-
bus atque eorum probationibus, & instru-
mentis in ordinem redactis, cuncta ad
Synodum referre paratos esse. Concilij
Patribus omnino annuentibus, Advoca-
tus utrumque Competitorem iterato vo-
cari postulat, ut & ipsi testium publicatio-
nem exciperent. Cumque Patribus Ad-
vocati petitum probaretur, quidam sal-
tem citationis speciem observaturi, ad val-
vas Ecclesiæ procedebant. Posthæc Ar-
chiepiscopus Pisanus unacum quodam
Notario, nomine Petro Garnier ex sugge-
stu, cuncta accusationum capita perlegi
jussit, ipse vero super quolibet articulo se-
orsim illos, qui pro testimonio dicebant,
testiumque numerum designavit. Qui-
bus ita absolutis Advocatus instabat, ut
Concilium omnia facta, & allegata tan-
quam certa & legitime probata esse de-
clararet, tandemque ulterius in judicia-
ria actione procederet. Cum autem dies
jam ad occasum inclinaret, nonnisi vigin-
ti articuli in hac Sessione perlegi pote-
rant, ceteris jussu Concilii reservatis ad
poste-

CL. 2

Sæcul. XV. posteram diem vigesimam tertiam Maji,
A.C. 1409. quæ erat feria quinta, qua etiam Sessio
undecima celebranda indicebatur.

§. CLI.

Sessio XI. Continuatio relationis.

In hac Sessione septendecim alia perle-
gebantur accusationum capita, quæ
computatis viginti prioribus in Sessione
præcedenti recitatis triginta septem Arti-
culturum numerum explebant. Horum
nonnulli communia utriusque Competitori
crimina complectebantur, alii vero alteru-
trum sigillatim petebant. Absoluta hac
lectione ac testimoniorum relatione Ad-
vocatus suggestum conscendit, & tam
Procuratorum quam Promotorum nomi-
ne postulat, ut cuncta prius relata tan-
quam vera, publica, ac omnibus manife-
sta esse, sacra Synodus declararet, eo fi-
ne, ut in actione judiciaria ulterius pro-
cedi valeret, prout maxima Ecclesiæ ne-
cessitas & Competitorum pertinacia exi-
geret. Deliberantibus hac super re Sy-
nodi Patribus, Pisanus Archiepiscopus
suggestu consenso totum negotium ad
vigesimam quintam Maji diem, nimi-
rum Pentecostes vigiliam remittendum
promulgabat.

§. CLII.